Doctori Aucto. 5e Ato 1537.

Charissime Domine Aucte, ago vestra D. gratias, quod vel in hoc suam erga me benevolentiam ostendit, quùm mihi libellos novos mihiq; gratos mittat. Video enim vestram D. mei esse memorem præsertim apud communem nostrùm Patrem Dominum D. Hessum, qui etiam illud regis Daciæ juramentum addidit; quare utramq; vestram D. rogo, velint eodem affectu in me esse, quo estis nunc ambo, et præter aliquam hesitationem jubeatis mihi, quo sua causa me exequi velitis. Facietis mihi enim rem gratissimam, nova hic nulla sunt: Dominus Cæsareq Orator cum Domino Petro à Peren cras conveniet, tractaturi pacis concordiæq; operq; quod cum pium sanctumq; existat, et orbi Christiano summopere necessarium ac utile, precandus est cœlestis noster Pater, transigat illud pro gloria sui nominis et plebis gloria et commodo. Ex Wrano 23. Novemb. 1537. 78./

Papa iverat extra urbem animi causâ, ut ante dixi, rediit XIII. præsentis, et paulò postquam venerat, ortâ tempestate sævissima circa secundam horam noctis, quinq; fulmina paulo momento decidere, quorum primo percussus malus præaltus, quem Angelus castri sancti Angeli manu tenebat, et super eum flore lilij inaurati, ut insigne gentile Papæ, et statim arsit dictus malus, ita ut neq; insigne neq; malus manserit. Secundo tacta est turris templi Vaticani; tertio tacta turris et bona parte dissecta sancti Johannis Laterani: quartum decidit in Beludere. Quintum autem super Ciborium templi domina nostra de populo. Ex Roma 17. decembris. 1537. 79./